Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36493
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

rum passione. Scientes ergo in eternum mansura iudicia omnia iusticie dei, caueamus ne opera nostra displiceant, et eternum incipiamus subire iudicium. nec si aliquid boni fecimus, resupino soluamur affectu. Omnes oportet nos ante tribunal christi assistere, ut recipiat unusquisque quod gessit siue bonum siue malum. Vides quia et paulus assistet, ut et ipse commemorat. Caue ligna, caue stipulam, ne ad iudicium dei tecum deferas quod ignis exurat. Caue ne cum in uno aut duobus habeas quod probetur, in pluribus operibus deferas quod offendat. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur. Potest tamen per ignem et ipse saluari. Unde colligitur quia idem homo et saluatur ex parte, et condempnatur ex parte. Cognoscentes itaque multa esse iudicia opera nostra examinemus omnia. In uiro iusto graue est detrimentum, graue operis alicuius incendium. in impio pena miserabilis. Sunt magis omnia iudicia plena gratie, plena florentium coronarum, ne forte dum trucinantur facta nostra culpa preponderet. Incipit littera sen. que latine dicitur super uulnus. Super uulnus quod est nisi medicamentum quo uulneris acerbitas mitigatur. Super uulnus oleum infunditur, ut omnis ulceris emolliatur asperitas. Super uulnus malagma, super uulnera alligatura, quibus omne uulnus fouetur. Ubi ergo spes refundenda est sanitati, ibi adhibentur medicamenta uulneribus. Ubi autem omne caput in dolore, et omne cor in mesticia, non est uulnus neque cicatrix, non plaga cum feruore. Hoc est ubi non portio uniuersitatis percellitur, sed quedam corruptio totius corporis tabe consumitur. ibi non est malagma imponere, neque oleum neque alligaturam. Multo ergo commodius ut sit uulnus quod foueatur atque constringatur, quam uulnere mors serpat ulterior. Sed est non solum corporis uulnus, sed etiam mentis, quod oleo quodam mollioris alloquii et pacifici sermonis suauitate mitescit. Sunt fomenta uerborum, sunt medicamenta celestium preceptorum, quibus omne nequitie uirus aboletur. Sunt legis uincula que non adurant, sed magis liberent alligatos. Est malagma spiritale quo collisa anime quedam membra solidentur. Consideremus igitur quid sit uulnus.

PRINCIPES persecuti sunt me gratis. — Sin quod super uulnus.

uulnus est. Exulto ego in uerba tua sicut qui inuenit spolia multa. Super uulnus est. quia ubi dominicis uulneri dura curantur. In threnis quoque hieremie habes sub hac littera scriptum. Audisti obprobrium eorum domine, omnia consilia eorum aduersum me, labia insurgentium et meditationes eorum aduersum me tota die, sessionem eorum et resurrectionem eorum. Vulnus est sed subiecit. Aspice in oculos eorum, redde illis retributionem domine secundum opera manuum ipsorum. Super uulnus est quia uindicta plerumque dolorem solet uulneris mitigare. Et infra idem hiere-